

esset qui de reddenda satisfactione parum curaret, quam qui de ea praestanda esset sollicitus; tum quia perfectio justitiae vindicativae Dei exigit ut nemini beatitudinem concedat, quin poenis debitum peccatorum perfecte solverit. *Minor.* prob. Nam homo negligere potest satisfactionem dare, vel mori inopinato, et post mortem jam amplius non datur locus redimendi poenam satisfactione meritoria cum tempus merendi finitum sit.

b) Non semper remissis mortalibus, venialia tolluntur, et potest quis in hoc statu mori. Sed tunc debitus justitiae ordo exigit ut in futura vita in Purgatorio puniantur. Ergo... *Minor.* prob. Aliter dicendum esset hos damnari quod est impium, utpote qui amici Dei sunt; vel immundos in caelum ingredi quod est indecens, quia non intrat in illud aliquid *coinquinatum* (1), vel eos ipsa morte ab omni reatu absolvi quod est omnino arbitrarium.

c) Quia nulla esset poena vindicativa, quae homines a venialibus et a negligentia satisfaciendi retraheret; nihil enim deberet timere in futura vita qui in hac vita vel peccata venialia non caveret vel pro eis non plene satisfaceret.

20. II.<sup>a</sup> Pars. **Nota.** Poena damni appellatur carentia divinae visionis, totiusque aeternae beatitudinis; poena vero sensus poena alicujus doloris specialiter inflictio ultro privationem caelestium donorum. Dicitur ultra privationem caelestium donorum ut poena sensus distinguatur: a tristitia, quae poenam damni consequitur, nam ut optime notat *Suarus* (2), «sub nomine et impositione »poenae damni includitur semper tristitia vel dolor concomitans »malum illud, quod in poenam imponitur, neque in ulla lege vel »aliquo judicio censentur duae poenae, privatio pecuniae et tristitia inde sequuta, sicut non sunt duo praemia, visio Dei, et delectatio, quae illam consequitur; et in universim proprietate naturaliter consequens non censetur venire in numerum cum re ad »quam consequitur.»

Prob. quoad poenam damni. 1.<sup>o</sup> Ut constat ex prima parte, animae quae in Purgatorio detinentur, ibi sunt, quia non sunt dignae visionis Dei et ideo eam carent. Sed haec carentia habet in animabus rationem poenae. Ergo... *min.* prob. In Purgatorio detinentur et consequenter carent visione Dei, ratione culpa commissae. Sed nihil aliud est poena damni. Ergo... *Major.* constat quia nulla est in eis alia ratio cur detineantur. Nam quantum est ex parte status eis post mortem veluti naturalis, hoc ipso quod sunt extra corpus, sunt in statu sufficienti ad videndum Deum: ergo non nisi culpam commissam et nondum plene satisfactam, a visione Dei retardantur.

(1) Apocal. XXI, 27.—(2) De Poenit. D. 46, sect. 1.

2.<sup>o</sup> Ut constat etiam ex prima parte, animae in purgatorio detentae poenam aliquam extinguere debent peccati reatum. Sed nullam poenam possent sustinere, si non carerent propter culpas suas visione Dei. Ergo... *Minor.* prob. quia cum visione Dei non est capacitas alicujus poenae juxta illud Apocalypsis (1): *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis (sanctorum) eorum: et mors ultra non erit neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra quia prima abierunt.*

3.<sup>o</sup> Traditione. Ex testimoniis adductis in prima parte, quibus S. Gregorius Nazianz, addetur, qui (2) dicit: «Non potest »egressus, particeps fieri divinitatis, nisi maculas animo immixtas »purgatorii ignis abstulerit.»

Jam de intensitate poenarum Purgatorii communior sententia theologorum post D. Thomam. (3) docet: minimam purgatorii poenam graviores esse maximam hujus vitae.

Fundatur in dictis PP. infra citandis. Lessius (4) de poena damni ita probat: «Animae justorum, cum se a gloria parata eo »momento, quo conferenda erat, vident repelli et in teterrimum »exilium ablegari, donec pro antiquis culpis integre satisfaciant, »incredibili sauciantur dolore. Quantus enim ille sit dolor, ex eo »conjici potest, quod ex quadruplici consideratione nascatur. Primo quod videant, se tanto privari bono idque eo tempore, quo illo »fruentum erat. Apprehendunt acerrime illius boni immensitatem »et simul illud ardentissime desiderant. Secundo quod videant, id »fieri, ob culpam suam. Tertio, quod neglexerint, pro illa culpa »suo tempore satisfacere, cum facillimo negotio redimi poterat et »tantas nunc cogantur sustinere calamitates; id enim non parum »incendit doloris acerbiter. Quarto, quod ingentes aeternorum »bonorum thesauros et caelestis gloriae gradus, quos facile consequi potuissent, sua culpa et tempore neglexerunt. Haec omnia »vissimo modo apprehensa ingentem dolorem excitant, ut etiam in »damnis humanis experimur cum ista quatuor concurrunt. Itaque »credibile est, illum animi dolorem longe esse majorem quam homines in hac vita ex damnis temporalibus concipere possunt; quia »bonum illud longe est excellentius, et apprehensio acrior, et desiderium ardentius: et haec omnia assidua, numquam interpellata, nocte dieque urgentia. In doloribus hujus vitae crebra interruptio est per somnum, per colloquia amicorum, per varias mentis distractiones. Accedit, quod divina Justitia de industria faciat,

(1) XXI, 4.—(2) Or. *pro mortuis*.—(3) 4, D. 21, q. 1, a. 1.—(4) De perf. divin. L. 13, c. 17.

»ut damna sua etiam acrius apprehendant, quam per se facerent,  
 »ut majore dolore urantur. Ideo enim fit haec dilatio et hoc tempore  
 »exilium, ut ejus dolore purgentur et poenas pristinorum culparum  
 »luant. Secus erat in PP. antiquis limbo detentis; non enim ob cul-  
 »pam aliquam personalem ibi detinebantur gloriae exortes, sed ob  
 »conditionem naturae pro cuius debito nondum pretium erat exhi-  
 »bitum (1).»

Prob. quoad poenam sensus ex Scriptura (2): *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Dicitur quasi per hebraismum sicut Joannes (3) ait: *vidimus gloriam quasi Unigeniti*, ad significandam realitatem, aequalitatem non solam similitudinem.

2.º PP. testimoniis adductis in prima parte.

3.º Ratione. Peccator propter inordinatam delectationem et affectionem ad creaturas dignus est aliqua poenâ contraria illi delectationi. Sed haec est poena sensus. Ergo... *Maj.* prob. quia aequitas justitiae vindicativae hoc postulat, ut unicuique dentur poenae proportionatae juxta illud Apocal. (4): *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. *Min.* prob. quia poena sensus est delectationi contraria et ex ipsis creaturis suscepta, quod indicare videtur Sapientia (5): *Per quae peccat quis, per haec et torquetur*.

Hanc poenam sensus esse quoque semper majorem maximâ hujus vitae constat:

Quia hunc sensum praeseferebant testimonia SS. PP. S. Augustini (6), S. Anselmi crediti (proprie Honorii Augustodani. med. saeculo XII) (7): «Minimum majus est, quam maximum quod in hac vita excogitari potest.» V. Bedae (8) circa verba: *Domine ne in furore tuo arguas me*. «Nec immerito tantum timet iste hanc correctionem (loquitur de Davide timente Purgatorium) quia attendit eam esse graviolem, quam quidquid unquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quidquid gravius homo possit excogitare.» S. Gregorii M. (9): «Scio futurum esse, ut post hujus vitae exitum, alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam subeant aeternae damnationis; sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione praesenti aestimo intolerabiliorem, non solum in furore aeternae damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari.» S. Isidori Hisp. (10): «Sed de illo purgatorio igne hoc animadvertendum est, quod omni, quem excogitare in praesenti potest homo, tormentorum modo et longior et acrior sit.»

(1) V. Suar. D. Poenit. D. 46, sec. 3, nn. 1, 4.—(2) I Cor. III, 13.—(3) I, 14.—(4) XVIII, 7.—(5) XI, 17.—(6) Supr. n. 19.—(7) Elucid. L. 3, c. 3.—(8) In Ps. XXXVII.—(9) In Ps. 3 poenit. n. 1.—(10) De ord. creat. c. 14, n. 12.

His dictis PP. consonant: a) revelationes plures inter quas memoria digna est quam refert S. Antoninus (1) animae cujusdam infirmi, cui una hora purgatorii, plures anni videbantur, et poenae ita fuerunt graves, ut praeferebat per indefinitam vitam acerbissimos in hoc saeculo dolores pati.

b) Rationes congruentiae: α) quia laesionis sensus tanto est acerbior quanto aliquid magis est sensitivum, sic v. g. spinulae inter carnem et ungulas fixae gravissimum dolorem causant. Ergo cum ignis purgatorii virtute divina agat in animam immediate, quae maxime sensitiva est cum per eam corpus fiat sensitivum, debet omni hujus vitae igne laesionis sensum acerbiolem causare; β) quia quaevis purgatorii poena specie differt a poenis hujus vitae: ergo quaelibet est acerbior: ut enim ajunt Philosophi: «Infirmum »supremi est supremum infirmi.»

21. Obj. 1.º In Scriptura non commemorantur nisi duo loca post mortem. ait enim Ecclesiastes (2): *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit*.

Resp. Dist. *antec.* Nisi duo loca ultima et quoad statum definitivum animarum; conc. Excludendo locum non ultimum et quoad statum temporarium animarum; neg.

Inst. Juxta Matthaeum (3), duo tantum ordines hominum reperiuntur post mortem.

Resp. Dist. Post extremum judicium, conc. Immediate post mortem; subdist. quoad statum perpetuum; conc. temporarium; neg.

Obj. 2.º Ecclesiastes (4) et Paulus (5) asserunt nihil post mortem posse fieri, quod homini inserviat ad salutem, sed ejus statum esse immutabilem. Ergo.

Resp. Dist. Nihil posse ad gratiam Dei consequendam vel amicitiam amittendam vel nihil inservire ad meritum vel satisfactionem ex parte hominis operantis et hoc sensu hominem post mortem inveniri in statu immutabili; conc. Ut non possit satisfati poenam peccati temporalem atque hoc sensu inveniri quandoque in statu mutabili, neg.

Obj. 3.º Legimus in Apocalypsi (6): *Beati mortui qui in Domino moriuntur. A modo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis*. Et in II ad Corinth. (7): *Scimus enim, quoniam si terrestri domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam aeternam in coelis*. Ergo justii omnes statim post mortem praemio donantur, et ab omni labore requiescunt.

(1) 4, P. Sum. tit. 14, c. 10, § 4.—(2) XI, 3.—(3) XXV, 34-41.—(4) IX, 10.—(5) II.º Cor. V, 10.—(6) XIV, 13.—(7) V, 1.

Resp. Dist. *Requiescunt a laboribus* hujus vitae; conc. alterius vitae subdist. Si per ignem non debent salvi fieri; conc. Si per ignem debent transire, ut sunt qui moriuntur non plene justificati; nego.

Obj. 4.<sup>o</sup> Deus pronior est ad praemiandum bona quam ad puniendum mala. Sed Deus post vitam non dat praemium damnatis pro bonis operibus, quae viventes operati sunt. Ergo neque punit in justis mala, quae sine amissione justitiae operati sunt.

Resp. Dist. *maj.* Pronior est... sine tamen dispendio justitiae et sanctitatis; conc. Cum dispendio justitiae et sanctitatis; neg. *Min.* concedo vel explico per distinctionem: non dat, quia haec opera bona malorum vel nulla vel mortificata sunt per peccatum mortale; conc. Ex eo quod Deus simpliciter velit negare praemium; neg. Quare non est paritas, sicut enim peccatum mortale omne meritum anteactum mortificat et annullat quidquid boni in statu mortalis peccati operetur, non ita charitas omne malum destruit, sed potest stare cum reatu culpae venialis, et poenae temporalis.

Obj. 5.<sup>o</sup> In ultimo judicio statim omnes vel in caelum admittentur vel in infernum detrudentur. Sed plures ex illis, qui tunc reperientur in mundo, non plene pro peccatis satisfaciunt; non enim erit tempus et locus. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Detrudentur, ita ut nec brevissima mora sit inter mortem et resurrectionem, neg. Ut brevissima saltem mora intersit; conc. Jam vero in hac brevissima mora, ut dicit D. Thomas (1), calor purgatorii recuperabit in intensione quantum amittit in temporis brevitate (2). Ad *min.* dico trans., nam multi saltem eorum per alias tribulationes, quae illo tempore maximae erunt, purgari poterunt ut locis citatis dicunt D. Thomas et Suarius.

Obj. 6.<sup>o</sup> Poena damni respondet aversioni a Deo seu culpae. Sed animabus Purgatorii remissa sunt omnia peccata quoad culpam. Ergo ipsis poena damni non debetur.

Resp. Dist. *Maj.* Tantum ita ut etiam poena sensus aversioni non debeatur; neg. Etiam, conc. Reatus enim poenae manet non solum propter conversionem sed etiam propter aversionem, imo propter hanc maxime, quia illa est potissima malitia, propter quam praecipue debetur poena.

(1) Suppl. Q. 74, a. 8 ad 5; Suar. De myst. v. Christi, D. 57, sec. 1, n. 4.  
(2) V. not. 3, pag. 499.

## SCHOLIA.

22. I. De remissione peccati venialis ante mortem non retractati. Ingressum in caelum impedire possunt: 1.<sup>o</sup> Culpae peccatorum venialium non retractatorum.—2.<sup>o</sup> Reatus poenae temporalis venialibus peccatis vel mortalibus jam remissis respondentis.—3.<sup>o</sup> Pravi habitus. Reatum poenae temporalis extingui purgatorio igne usque huc dicta probant; quoad pravorum habituum extinctionem non est necesse, ait Suarius (1), fingere aliquam purgatoriam detentionem; nam quidquid hujusmodi est in appetitu sentiente in ipsa morte deponitur simul cum corpore, in quo est appetitus; habitus vero existentes in voluntate vel in ipso instanti mortis auferuntur aut per alios contrarios actus divina virtute factos, aut per abstractionem divini influxus conservantis, aut certe in primo ingressu gloriae ratione status infunduntur per accidens omnes virtutes etiam naturales. Jam de culpis venialibus non retractatis:

Dico: Omnia peccata venialia cum quibus homo justus decedit, remitti quoad culpam in primo instanti separationis animae a corpore.

Anima enim, ut vult D. Thomas (2), in primo instanti separationis a corpore habet ferventem actum dilectionis Dei, et contritionem etiam perfectam omnium culparum; quia talis anima in eo momento optime cognoscit statum suum et est expedita ad operandum; et ex parte Dei habet auxilium efficacissimum juxta mensuram suae gratiae; et ipsa statim sine mora operatur, et perfecte tendit in Deum et avertitur ab omnibus venialibus; ergo ille actus sufficit ut statim tollantur omnia illa peccata quoad culpam. Atque ita fit poenitentiam posse remittere haec peccata etiam post hanc vitam.

Dices: ergo post hanc vitam adhuc mereri homo potest, quod est inconveniens.

Resp. 1.<sup>o</sup> Concedendo probabiliter sequelam cum D. Thomas (3) quoad aliquid accidentale.

2.<sup>o</sup> Probabilius cum eodem D. Thomas (4) negando sequelam, quia meritum non est necessarium ad remissionem culpae, cum alia causalitas sufficiat.

Inst. Deus tenetur ex justitia remittere illam culpam, quia non potest, servato ordine justitiae a se praescripto, punire perpetuo illam animam privando illam gloria, nec potest dare gloriam nisi prius remittat culpam.

Resp. ad hoc prodesse merita praecedentia, vel propria, vel Christi D. applicata, ut ratione illorum negari non possit haec remissio, si alioquin ex parte hominis vel animae sit sufficiens dispositio. Pariter quia status merendi finitus est, dicendum est in illo instanti nullam poenam purgatorii remitti ex vi illius contritionis (5).

(1) De poenit. D. 47, sec. 1, n. 5.—(2) Q. 7, de Malo, a. 11.—(3) Suppl. Q. 72 (bis) a. 4.—(4) Q. 7, de Malo, a. 11.—(5) Ex Suario. De poenit. D. 11, sect. 4.

## 23. II. De pace animarum purgatorii.

Dico: Animae in purgatorio detentae certae sunt et securae de sua salute, ac proinde in pace sustinent suas poenas.

Elucet ex doctrina de iudicio particulari et ex prop. 38.<sup>a</sup> damnata a Leone X inter errores Lutheri «Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes; nec probatum est »ullis aut rationibus aut scripturis ipsa esse extra statum merendi »aut augendae charitatis.» Fuerunt etiam confirmatae in gratia ab ipso instanti separationis a corpore, ut constat ex prop. 39.<sup>a</sup> pariter damnata «Animae in purgatorio peccant sine intermissione quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas.» Inde fit, ut suas poenas patienter et voluntati Dei omnino conformes accipiant. Non tamen aliquid merentur, sunt enim jam extra viam et inter mortuos de quibus dicit Ecclesiastes (1): *nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.*

24. III. De igne et duratione poenarum purgatorii. Quoad primum ex testimoniis adductis in thesi nempe ex I. Corint III, ex SS. Isidoro, Augustino, Gregorio, etc., satis constat, et:

Dico I. Poenam sensus infligi in purgatorio a vero igne.

Contrarium sentire est juxta Suarium improbable, et non immerito, cum in asserendo vero igne purgatorii contra graecos illum negantes convenirent unanimiter PP. Latini in Concilio Florentino, et convenient Theologi, quorum sensus unanimis non nisi temere contemni potest; non est tamen res fide definita. Quomodo ignis cruciet animas separatas, ubi agamus de damnatis explicabitur.

Quoad secundum de duratione poenarum:

Dico II. Certum est poenas purgatorii ultra diem ultimi iudicii non esse duraturas.

Ita enim eruitur: a) ex sententia quam Dominus in illo iudicio proferet apud Matth. (2). *Ibunt hi (mali) in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.*

b) Ex S. Augustino (3) «purgatorias poenas nullas futuras »opinatur, nisi ante illud ultimum tremendumque iudicium.»

Dico III. Animae aliquae in purgatorio detinentur diutius aliis, nonnullaeque ibi tempore satis longo puniuntur.

Nam ut docet ipse Augustinus (4) transeundi per purgatorium tanta erit mora «quanta fuerit peccati materia;» quae ut per se patet non est eadem in omnibus. Quod vero diu aliquae detineantur in purgatorio, jam inde a Tertulliano, qui scribebat (5): «Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus;» testis est Ecclesiae praxis, quae anniversaria pro uno eodemque defuncto etiam in perpetuum admittit.

(1) IX, 5.—(2) XXV, 46.—(3) De civ. L. 21, c. 16.—(4) Homil. 16, int. 50, n. 3.—(5) De coron. mil. c. 3.

## THESIS V.

Animae purgatorii, vivorum suffragiis juvari possunt ut a poenis solvantur.

25. Nota. I. Suffragium est auxilium quoddam, quod unus fidelis praebet alteri ad obtinendum a Deo remissionem poenae temporalis, vel aliquid hujusmodi; brevius est subsidium per modum solutionis pro altero in quem transfertur satisfactio. Tribus modis potest suffragium unius prodesse alteri: a) Ex opere operato sicut per sacrificium altaris (1). b) Indulgentiis, quae etiam juvant ad modum operis operati (2). c) Ex opere operantis, ut per orationem, elemosynam et jejunium. Suffragia fieri possunt auctoritate privata, vel publica Ecclesiae.

II. Inter fideles dari aliquam bonorum communicationem certa fide tenemus cum dicimus in Symbolo: «Credo... sanctorum » communionem.» Eam etiam aperte in Scripturis invenimus expressam apud Davidem (3): *Particeps ego sum omnium timentium te*, et apud Jacobum (4): *Orate pro invicem ut salvemini.* Eam tandem postulat constitutio Ecclesiae (5) juxta quam omnes fideles, per charitatem uniti, sunt unius corporis Ecclesiae membra, et unum membrum juvatur per alterum, unde aliquis potest ex alterius meritis juvari. Pulchre expressit Chrysostomus (6): «Etenim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendiora; et fieri potest ut veniam eis omni ex parte conciliemus a precibus, a donis, quae pro eis offeruntur, ab iis, qui »cum ipsis vocantur.» Quapropter veritati huic generatim sumptae, etiam haeretici non contradicunt. Sed cum eis duplex est controversia: prior est de personis, seu statu hominum inter quos potest esse hoc genus auxilii et communicationis, nam solum admittunt respectu viventium non respectu mortuorum. Altera est de effectu hujus communicationis; negant enim posse unum fidelem alios juvare ad satisfactionem pro peccatis, seu remissionem poenae temporalis. Hic resolvimus quaestionem quatenus ad mortuos spectat, nam quatenus viventes respicit resolvitur in tractatu de Poenitentia (7). Negarunt saec. IV. Aerius, deinde medio aevo albigenes, waldenses et tandem protestantes. Est de fide.

26. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex concil. Tridentino in decr. de *Purgatorio*, et Florentino in decreto *Unionis* supra n. 19. Similia habentur in

(1) De quo in vol. III. Disq. IV. Thes. XXX.—(2) Vol. III. Disq. V. Thes. XXXIX.—(3) Ps. CXVIII, 63.—(4) V, 16.—(5) D. Thom. Suppl. Q. 71, a. 1.—(6) Homil. 41 in I Cor. n. 5.—(7) Vol. III. Disq. V. Thes. XXXVIII.

professione fidei ab Innocentio III. waldensibus praescripta; in confes. fidei Michaelis Paleologi Gregorio X in concil. Lugdunensi II oblata; et in professione fidei concil. Tridentini.

2.<sup>o</sup> Scripturâ. Ex libro II Machab. XII, 46 supra n. 19 (I.<sup>a</sup> P. 2.<sup>o</sup>) unde sic. Ergo aliqui defuncti juvantur fidelium orationibus. Sed non possunt juvari neque qui in patria sunt, nam immunes ab omni poena et culpa sunt ubertate domus Dei inebriati; neque qui in inferno sunt, judicantur enim *sine misericordia* (1) et sunt perpetuo digni Dei odio, nec tandem qui in limbo, sunt enim gratiâ carentes in aeternum a caelo exules. Ergo restat ut animae in purgatorio detentae juventur.

3.<sup>o</sup> Cum Patribus. Tertullianus (supr. n. 24) S. Augustinus (2): «Inspira, Domine Deus meus, inspira fratribus meis, »servis tuis... ut quotquot haec legerint, meminerint ad altare »tuum Monicae famulae tuae cum Patricio quondam ejus conjugem »per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam.»—In *Enchiridion* (3): «Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, quum pro illis sacrificium mediatoris »offertur, vel eleemosynae in Ecclesiis fiunt. Sed eis haec prosunt, »qui cum viverent, ut haec sibi postea prodesse possent meruerunt. »Est enim vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post »mortem; nec tam malus ut non prosint ista post mortem.» S. Ephrem (4): «Si filii Mathathiae, qui solum in figura celebrabant festa et commemoraciones, quemadmodum legistis in Scripturis (II, Machab. 12, 43), oblationibus expiabant debita eorum »qui in bello ceciderant... quanto magis sacerdotes Filii Dei expiabant debita defunctorum oblationibus.»

4.<sup>o</sup> Praxi Ecclesiae suffragia offerentis ut constati a) Ex consuetudine in universa Ecclesia existente. b) Ex liturgiis etiam antiquissimis, quae ipsis Apostolis tribuuntur, sic in Hierosolymitana, quae S. Jacobo tribuitur dicitur: «Fac Domine ut oblatio nostra accepta sit... in requiem animarum earum, quae ante nos »obierunt.» c) Ex vetustissimis inscriptionibus trium priorum saeculorum, quae in arenariis et subterraneis sepulchris inventae sunt. In his enim preces leguntur pro defunctorum pace et refrigerio.

5.<sup>o</sup> Ratione: Animae in purgatorio detentae junguntur fidelibus charitatis vinculo, veluti ejusdem corporis membra. Sed membra ejusdem corporis possunt se invicem juvare juxta uniuscujusque indigentiam et facultatem. Ergo fideles possunt suis suffragiis ipsas juvare ad satisfactionem poenae temporalis: in carcere enim

(1) Jac. II, 13.—(2) *Confess.* L. 9, c. 12.—(3) C. 110.—(4) *In suo testam.*

purgatorii detinentur et remissione aliqua poenae temporalis egent. *Min.* est manifesta, cum dicat Scriptura (1): *Pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra.* «Charitas, ait Angelicus (2), non solum ad vivos se »extendit, sed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt. Charitas enim, quae est vita animae, sicut anima est vita corporis, »non finitur.»

27. Obj. 1.<sup>o</sup> Docet Apostolus (3) unumquemque referre *ante tribunal Christi... propria corporis, prout gessit.* Ergo non possunt mortui operibus vivorum juvari.

Resp. Explico sensum ut referat unusquisque in ordine ad praemium vel poenam simpliciter decernendum; conc. Cum exclusionem suffragiorum per vivos; subdist. pro damnatis; conc. Pro igne salvandis; neg.

Obj. 2.<sup>o</sup> S. Damascenus (4) narrat Trajanum imperatorem orationibus B. Gregorii ab inferno eductum et liberatum fuisse. Ergo non tantum animabus purgatorii, sed etiam inferni prosunt orationes justorum.

Resp. 1.<sup>o</sup> Historiam falsam esse, nam: a) nemo ad infernum finaliter deputatus qualis putandus jam erat Trajanus ab eo liberatur, ut docet fides. b) Quia repugnat fidei ipsius S. Gregorii, qui Lib. 7. Epistol. 75; Lib. 4. Dialog. c. 44, lib. 34. Morali. c. 16, al. 19, n. 35) docet poenas inferni esse aeternas: nullam in inferno redemptionem; non orandum pro hominibus impiis et sine baptismo vitam functis qualis erat princeps ille ethnicus, persecutor christianorum atrocissimus et omnibus libidinibus deditus. c) Repugnat ipsi fidei humanae, tum propter diversitatem in narratione a diversis auctoribus, tum ob nugas quas miscent, tum ob silentium veterum scriptorum vitae Trajani et Gregorii, tum denique ob falsitatem vel saltem obscuritatem et incertitudinem documentorum quibus pauci auctores, qui eam narrant nituntur. Revelationes SS. Birgittae et Meechildis circa hanc rem sunt contrariae, et oratio Sti. Damasceni de hoc singulari facto agens non est ejus, sed pseudodamasceni, ex quo in Euchologium graecorum schismaticorum irrepsit (5).

Resp. 2.<sup>o</sup> Permissa non concessa historiâ cum D. Thoma (6): «De facto Trajani hoc modo potest probabiliter aestimari; quod »precibus B. Gregorii ad vitam fuerit revocatus, et ita gratiam consequutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit,

(1) I Cor. XII, 24, 25.—(2) *Suppl.* Q. 71, a. 2.—(3) II. Cor. V, 10.—(4) *Serm. de defunctis.*—(5) *Ex Wirceburg.* De pecc. n. 57.—(6) *Suppl.* Q. 71, a. 5, ad 5.

»et per consequens immunitatem a poena: sicut etiam apparet in  
 »omnibus illis qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum  
 »plures constat idololatrias et damnatos fuisse. De omnibus talibus  
 »enim similiter dici oportet quod non erant in inferno finaliter de-  
 »putati, sed secundum praesentem priorum meritorum justi-  
 »tiam: secundum autem superiores causas, quibus praevidebantur  
 »ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum.» Confer.  
 Suar. De myst. v. Christi D. 43, sec. 3, n. 5, 6, 10. De actibus hu-  
 manis tr. 5, D. 7, sec. 3, n. 4. In utroque loco dicit non esse contra  
 fidem nec simpliciter erroneum admittere privilegium pro aliquo  
 damnato, videtur tamen temerarium, quia affirmatur contra regu-  
 las generales S. Scripturae et sine fundamento vel auctoritate.

## SCHOLIA.

281. **Quomodo prosint suffragia defunctis.** Circa modum quo suf-  
 fragia ex opere operantis prosint animabus defunctorum concedunt  
 communis auctores cum Bellarmino remissionem poenae  
 temporalis fieri, saltem aliquando per modum impetrationis seu  
 meriti de congruo; hoc est poenam remitti a Deo gratis, absque  
 ulla satisfactione, propter orationes et merita justorum, qui hoc a  
 Deo impetrant. Haec sententia dicitur a Suario pia et probabi-  
 lis et fortasse vera.

Ipsa tamen cum plurimis probabiliter existimat praedictam re-  
 missionem tantum fieri per modum solutionis; i. e. numquam  
 Deum illis poenam peccato debitam remittere, nisi condigna satis-  
 factione, quia hoc a justitia Dei vindicativa exigitur, ita ut nemo  
 possit, neque pro se ipso, gratuitam remissionem poenae impetrare.

In hac sententia dicit sanctos et justos orare pro  
 animabus purgatorii: a) ut satisfactiones vivorum pro eis  
 acceptentur, quod maxime locum habet, si illa acceptatio non est  
 infallibilis ex lege.

b) Ut Deus praebeat viventibus auxilia ad satisfaciendum debito  
 modo pro animabus purgatorii.

c) Ut liberatio animarum a purgatorio acceleretur etiamsi neces-  
 se sit diuturnitatem temporis intensioe poenarum compensari.

d) Obtinendo a Deo ut propriae et superabundantes satisfactio-  
 nes ex hac vita relictas his vel illis animabus purgatorii appli-  
 centur.

e) Unum sanctum, alium rogando ut suas satisfactiones his vel  
 illis animabus applicet.

29. II. **Qua infallibilitate.** Pro resolutione nota ut certum haberi  
 poenam purgatorii secundum moralem valorem compensari posse  
 per voluntariam poenam hujus vitae. Aliter non videretur, quo  
 pacto aliquis pro seipso in hac vita satisfacere posset. Unde fit ut

(1) De poenit. D. 48, sec. V, n. 5.

secundum eandem aequalitatem possit quis satisfacere pro amico  
 sive vivente sive defuncto, est enim eadem ratio pro viventibus et  
 defunctis.

Hoc supposito quaeritur: an haec satisfactio sit de justitia etiam  
 quoad acceptationem a Deo, ita ut teneatur Deus ex justitia illam  
 acceptare, vel solum id facere ex misericordia?

Resp. De justitia cum Suario et plurimis, sequentibus  
 D. Thomam (1) contra Cajetanum, Canum et alios.

Prob. Nam ad hoc requiritur: ut solutio sit poenae subeundae in  
 purgatorio moraliter aequalis; deinde ut Deus teneatur eam ac-  
 ceptare. Atqui utrumque invenitur. Ergo... Primum constat ex  
 dictis in initio scholii; secundum, quia Deus hoc promisit respectu  
 viventium nobis charitate conjunctorum. Ergo etiam quoad ani-  
 mas purgatorii, quae nobis etiam sunt charitate conjunctae, nec  
 minus nostris suffragiis indigent quam viventes. Praeterea Eccle-  
 sia sua suffragia offert pro vivis et pro defunctis; et SS. PP. eodem  
 modo de illis loquuntur. Ergo signum est a Deo similiter esse  
 suscipienda nostra suffragia pro mortuis.

Animas purgatorii extra forum Ecclesiae esse, difficultatem non  
 habet; nam verum est esse extra forum judiciale seu stricte sum-  
 ptum, non autem extra forum communicationis, cum animae illae  
 vinculo charitatis uniantur nobiscum: et ideo non separantur etiam  
 quoad communicationem bonorum, proportionatam statui unius-  
 cujusque. Et ob hanc causam tam de nostris satisfactionibus quam  
 de indulgentiis Ecclesiae solet dici, prodesse animabus purgatorii  
 per modum suffragii. Per quam loquutionem aliqui putant excludi  
 infallibilem applicationem et acceptationem ex justitia. Quod non  
 ita est; sed significatur solum, non fieri per proprium actum ju-  
 risdictionis et absolute judicariae, sed per modum amicabilem com-  
 municationis, seu elemosinae, quae a viventibus quidem fit ipsis  
 animabus; tamen per eam ad aequalitatem et ex justitia solvunt  
 suum debitum (2).

30. III. **An animae purgatorii pro se et pro nobis orare possint.**  
 Communior sententia quam sequuntur Suarius (3) et Bellar-  
 minus (4) tenet contra nonnullos theologos, quod:

**Dico:** Animas in purgatorio posse tum pro se,  
 tum pro aliis bona quaelibet orando impetrare.

Nam, ut ait Suarius (loc. cit.) de Oratione: «Cur non poterunt  
 »humiliter a Deo petere ut quam citissime inde liberentur... sive  
 »hoc sit immediate condonando sibi aliquam partem poenae pro-  
 »pter Christum, sive (quod facilius est) excitando fideles justos, qui  
 »pro eis satisfaciant et suffragia vel indulgentias pro eis applicent...  
 »Hinc consequenter orant pro bono gloriae obtinendo... deside-  
 »rium suum Deo explicando. Et praeterea, si... indigent aliquo le-  
 »vamine vel consolatione, ut facilius possint illam Dei absentiam  
 »sustinere, non video cur non possint hoc accidentarium bonum  
 »petere, vel ex honesto affectu naturae, vel etiam ex amore Dei, ut

(1) 4, D. 45, q. 2, a. 1, q. 2, simul cum 1.—(2) Ex Suario. De poenit. D.  
 48, sect. 6.—(3) De poenit. D. 47, sect. 2, n. 89; De orat. L. 1, c. 11 a n. 12...  
 —(4) De purg. L. 2, c. 15.